

Handwritten text on the adjacent page, including numbers 3, 7, 8, and 1, and some illegible characters.





De  
**PEREGRINATIONE**  
ne Studioforum  
**ORATIO,**

1630, 6.

*Imbuens peregrè abiturum quibusdam  
Præceptis, quæ Animo, quæ  
Corpori proficuis ac  
necessarijs.*

Superiorum Permissu

*publicè recitata*

in

**ACADEMIA ARGENTORATENSI,**

*XII. Kal. Jul. 1630.*

per

**DANIELEM KOLEFFEL,**  
Argentineniem.

*Peregrè vivere non possunt  
nulla instructi Arte.  
Erasmus.*


**ARGENTORATI,**

Excudebat **WILHELMUS CHRISTIANUS GLASERUS,**  
Academiæ Typographus.

**M. DC. XXX.**







VIRIS

*Nobilissimis Amplissimis  
Prudentissimis.*

Dom: CHRISTOPHORO Städel/ Reipubl. Patria Con-  
suli dignissimo, & ad D. Nicolaum in Undis Praefecto,  
Cognato suo Venerando.

Dom: WOLFFGANGO THEODORICO Zorn von  
Wlopsheim/ Reipub. Argentinenf. XV<sup>o</sup> viro strenuo,  
ejusdemque sacri Praefecto Primario.

Dom: JOHANNI FRIDERICO Schmeidel/ J. U. D.  
S. Palat. Caesar. Comiti Gravissimo, Oratori summo,  
Reip. Patria Consiliario & Advocato meritissimo.

Dom: JOSIAE Glasern/ Juris Consultissimo, Eidem Reip.  
Patriae à Secretioribus Consilijs Dexterrimo, Cognato suo  
observando.

Patronis & Meccoenatibus suis

*Hasce studiorum suorum primitias in perpe-  
tua observantia testimonium submisit de-  
dicat, offert*

DANIEL KOLEFFEL  
Argent.



678.

**M. JOHAN. CONRA-**  
**DUS DANNHAWER, P. L. CÆS.**  
**PROFESSOR ORATO-**  
**RÆ PUBLICUS,**

*Eloquentiæ Amatoribus salutem ac perennan-*  
*tem felicitatem!*



**Q**uod Asino in Silenorum patriâ con-  
tigit, qui ab hominibus istius loci non perfun-  
ctoriè cæsus, pœnas luit epotatæ à se lunæ: quia  
ipso bibente, subito illa disparuerit & quasi ab-  
sorberi visa fuerit: id fatum peregrinationes etiam ea-  
rumque cultores non rarò premit, postquam semel aleam  
judiciorum vulgarium subiverunt. Nam & hi sæpe in cri-  
men vocantur ac invidiam, quod cum ipsis redeuntibus  
in patriam videatur migrasse levitas: pedem extulisse su-  
perbia: coloniam quæsiuisse impietas. Cum, si vitia pe-  
regrinationi hærentia secernere mallems, quàm infan-  
tem cum ipsis sordibus ejectare, liquidius essemus atque  
rectius judicaturi. Da enim mihi juvenem, qui abiturus  
animo rectè sit imbutus ac præparatus: qui cum foris  
jam versatur, apinam exprimat diligentiam: qui redux  
memoriâ constet fideli: Tum ego tibi facile reddam Vi-  
rum prudentiâ, eâ, quæ ex visu est & tractatu (ut Lipsius  
loquitur) ornatissimum, ac ne longus sim, Augurem  
quendam publicum. Non palpo percutimus præco-  
ces illos nostros Eudoxos, qui temerè *εις εὐδοκῶν*, ut habet  
græcorum proverbium, navigantes, cucurbitarum in-  
star vitiosum solum sanguinem exsugunt; nec detrectant  
vel comburi, modo solem peregrinum cominus vide-  
rint. Non tibicinem ijs supponimus, qui exoticum vi-  
trum præferunt domestico auro. Non eorum denique



ab blandimur superbiæ, ac audaciæ, qui reduces facti non solum tanquam Ulysses suorum agnoscunt neminem, sed Indicas in super formicas jactitant vulpium magnitudinem æquantes: arbores tantâ capacitâ circumscribunt, ut sub unam ficum turmam equitum abscondere possis, aliaque garriunt nunquam vel audita vel audienda. Sed in eo omnem operam consumimus, ut ocreatus noster ac petasatus Adolescens probè se paratum dimittat in viam, dimissus prudenter eandem emetiatur, reversus sibi proficiat, patriæ sit usui ac ornamento. Quo consilio orationes aliquot domi conscripserunt, in publicâ & solenni panegyri die Lunæ exhibendas, Adolescentes pietate, Eruditione ac virtute ornatissimi politissimi que, quorum

*Primus*

DANIEL KOLEFFEL Argentoratensis, *imbuet animum peregrè abituri, præceptis quibusdam & salutaribus & necessarijs:*

*Alter*

JOHANNES ALBERTUS SEBIZIUS Argentoratensis, *rationem aperiet prudenter apud peregrinos versandi:*

*Tertius*

DANIEL RICHSHOFFER Argentoratensis, *ad montes patrios & incunabula reversum docebit ad usum transferre quæ foris didicerat;*

Quod igitur commodo tuo fiat, LECTOR optime, rogamus obnixè, ut relaxare te ac dissolvere occupationibus tuis, & horulæ alicujus usuram his declamatoribus transcribere propriam digneris; qui si parem gratiam referre non poterunt, tantum tamen referent, quantum suppetet. Per scriptum Argentorati X V. Calend. Julij Anno à mundo conciliato CIO IDC XXX.

*De*





De  
PEREGRINATIONE  
studiosorum

ORATIO.

Quomodo studiosi, antequam peregrinentur, præparandi?



Multi sunt, *Auditores, Generis splendore, Animi Prudentiâ, Authoritatis Magnificentia, Religionis synceritate, Doctrinæ Claritate, Virtutis Nobilitate, vitæ integritate, studiorum probitate, Excellentissimi.* Multi sunt, inquam, qui de Peregrinatione aliter sentiant atque aliter: audias enim non raro qui easdem quàm maximè improbent, vituperent, detestentur.

*Compellatio.*

Causam rogatis? *Auditores Optimi:* plerumque ajunt illi, cernimus filios nostros Peregrinationibus non meliores fieri, sed deteriores: cum Regione mutare mores, corrumpere ingenia, virtutum gentilium oblivisci, vitijs peregrinis immisceri, stultâ novitate in omnem inconstantiam rapi, non præsidium adferre Patriæ, sed excidium: non spem, sed desperationem: non salutem, sed perniciem.

*Contra Peregrinationem.*

Cernimus, *inquiunt*, omnibus ex ordinibus plurimos esse, benè utiliterque Rempub. administrantes, qui ne dum pedem extra Patriam posuerunt.

Videas contrà hos, qui justo ac debito amplius Peregrinationes laudent extollant, depereant, qui iisdem nil prius habeant, nil antiquius, eosque demum ex omni parte felices credant, qui per omnia vagantur maria.

*Peregrinationum abusus.*

————— *Terrasq; & compita Mundi,*  
nullamque sine perpetuâ circumcursitatione celebrem vitam esse posse, somniant.





*Limitatio.*

Utrique à vero scopo aberrant: Hi, dum altiùs volant, Illi dum demissiùs æquo: Hi, dum rem unicè commendant, quæ non bona esse potest, nisi apud bonos: Illi; dum rem contemnunt eam, quæ non mala esse potest nisi apud malos.

Nos tutiori viâ incedamus, nec rem, quæ bona est, propter malos vituperemus: nec rem, quæ mala est, propter bonos celebremus. Iniqui sunt, qui cum semel Patriâ exiverint, nunquam redire contendunt: Stulti verò hi, qui cum semel Patriâ exiverint, exules se putant.

*Peregrinationis commendatio.*

Accipite ergo oraculum hoc, *Auditores Optimi*: perinde infallibile ac si Delphis responsum esset: *Peregrinatio est res utilis, jucunda, honesta: laudabilis, magni nominis, magnæ virtutis*; MODO NORIS UTI: modò ne culiola apprehendas, sed nucleum; modo ne culmum arripias, sed spicam: non aristam, sed frumentum. Certè, qui mali esse volunt, ne dum domi resipiscent; qui verò boni sunt, ne dum foris desipient.

*Præparationis necessitas.*

*Horat. in Ep. ad Bul- lar. Lib. 2. fam. Ep. ad Marc. cal.*

Id verò prævidendum videtur maximè, ut studiosorum animi ita præparentur, ita præformetur, ne

*Cælum non animum mutant cum trans Mare currunt.*

Vix enim inquit *Erasmus* ille noster, peregrè vivere possunt, nullà instructi arte, eò verò magis, quia, juxta *Ciceronem* plerumque in externis locis minor est ad facinus verecundia.

Quò ergo major peregrinationum utilitas est & necessitas; eò & majus est, si quid in his instituendis negligentius agitur, periculum & detrimentum.

Quid autem quæso hic negligentius magis admitti potest, quam si studiosi nostri neque imbuti moribus neque doctrinâ instituti, ex Patriâ in alienam Terram, nescio quâ ignorantia ruditate, & rusticâ planè audiciâ, sine omni ingenio, sine omni judicio prorumpunt?

*Institutio ratio.*

Ideòque cum præposterâ hâc consuetudine nihil jam fermè frequentius, non abs re facturum me esse, arbitror, si hanc quæstionem: *Quomodo studiosi, antequam peregrinentur, preparandi sint?* aliquantum altiùs dilucidiusque explicem & enodem.

*Captatio Benevolentia. Laboris necessitas.*

Benevolentiam verò nostram in audiendo, innata vobis, & clementia & virtus, cum mihi certò promittat, tutiùs eloquar omnia.

Cæterùm, cum non ampliùs, ut Poetæ quondam, in campis spiciemur Elysijs, ubi vel non sentientibus Nectar in guttur instilletur, neque



neque naturâ nobiscum nascatur, neque ex Traduce propagetur, studio utrinque opus est, curâ vigili, labore pertinaci; nisi cum cerdonibus quondam, & quintæ classis hominibus, rem nobis esse & Amicitiam voluerimus.

Primum ergo & jure maximum est, quisquis tandem ille sit, qui cum fructu aliquando peregrinationes suas absolvere voluerit, ut Pius sit erga DEUM. Pietas enim est unica illa virtus, quæ supremum conciliat. Plenitudo Sapientiæ est timere DEUM. Timenti DOMINUM non occurrunt mala, Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum, verbo dicam,

*Utilis est Pietas ad quævis munia vitæ.*

Pius verò sit, non vitâ solùm, sed & oratione, sed & Religione ut habeat quem in necessitatibus invocare possit, DEUM: cui fidere possit, DOMINUM: Pius sit & fidei sanioris præceptis, quàm diligentissimè, quàm optimè antea imbutus, ut omnes cogitationum pravaram sagittas, & exteræ superstitionis ictus elidere & repellere possit; vitare prædiscat & intermittere penitens, sophisticas illas elegantias & perscrutationes, quibus multi hodiè in Religione suâ turbantur, quibus multi quoque ex incautâ & improvidâ Juventute in exteris Regionibus ipsissimam perniciem serâ cum pœnitentiâ sibi emere & emendicare solent.

Alterum est, ut Probus sit Peregrinaturus noster erga homines: Quid enim, quæso Vos, auxilij foris sperare potest à summo Patre, is, qui hunc, quem in Terris Patrem nactus est, domi despexit? Quid subsidij foris ab alijs expectare potest: qui hos quos in Patriâ amicos habuit, nō ut amicus, sed ut hostis domi profecutus fuerit? Quid benevolentia sibi foris in necessitate suâ promittere potest, is qui alios in necessitate moroso supercilio domi contempserit?

Pietate ergo & Probitate præmunitus esse debet omnis, qui contra insultus vitiorum, & vitæ hujus injuriarum certare, nec vinci voluerit, sed vincere, non superari, superare. Hæc sunt ista ædificij nostri sive præparationis fundamēta, *Auditores Optimi: ô firmum! ô æternum! ô Sanctum domicilium!* quod Pietatem pro fundamento habet, quod Probositatem pro basi: quod Literis & Moribus ceu columnis innititur, fulcitur!

*Literis dico & Moribus.* Quid enim aliud sunt Literæ sine Moribus, quàm nobilissimus hospes, in limoso & cænofo hospitio?

Quid

620

*In Peregrinatione requiritur.*

*1. Pietas.*

*Ecl. c. 1. v. 20.*

*Ec. c. 33. v. 1.*

*Rō. 8. v. 28.*

*Oratione.*

*Religione.*

*2. Probitas.*

*3. Literæ & Mores.*



Quid aliud sunt Mores sine Literis, quàm pulcherrimum hospitium, in quo stultus & insanus hospes hospitatur?

—feliciter ergo qui jungit utrumq;.

4.  
Lingua Latina.  
Ejus necessitas.

Horum enim alterutrum ubi abest, aut alterum in garrulitatem, aut alterum in rusticitatem degenerare necesse est. Literarum verò matrè, quis est qui aliam dixerit, nisi *Linguas*? inter has autem ejus maximè intelligo *Latinam*, communè omnium gentium quasi *Mercurium*, utpote citra cujus opem nulla *Peregrinatio*, (ad exteros imprimis) commodè fieri potest. Loqui cupis, nec loci linguâ imbutus es? Latine loquere, reperies ubique hominem qui te intelligat, qui respondeat, qui gratificetur, qui monstret, qui veneretur.

1 &  
Utilitas.

Ut verè dixerit ille, non tam præclarum esse scire Latinè, quàm turpè sit nescire: hinc est, quod Nobilissimus *Johannes Sturmius*, quondam noster, ad *Philippum Comitem Lippianum* perscripsit, dicendo: Romanus per omnes nationes & Populos & regna comitat: neque usquam gentium venias, ubi non Latinum hospitem invenias, qui viam Proficiscenti monstret.

5.  
Historiarum cognitio.

*Historiarum* deinde & *Politicoꝝ* præceptis præparatum, & *itinerarijs* ut vocant *Geographicis* anticipatum animum adferat, maximè verò præcognitionem rerum gestarum illius loci, quem lustraturus est; Sunt enim *historiæ* testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia veritatis: ut meritò dicendum sit, nescire *historias*, est perpetuè puerum esse: in his enim videmus, malorum facinora, pœnas; & bonorum præmia; quorum illa fugiet *Peregrinaturus*, ne in *justitiæ Divinæ* manus incidat: hæc amplectetur, ut præmijs, quæ ea committantur, potiatur. Nec verò veterum tantum præsciendæ res sunt, sed & in novas, atq; nostri sæculi *Historias* inquirendū est; imò in illas etiam, quas heri factas esse fortè contigerit: ne, dum alij conversantur invicem, ipse tu aperto ore, vel præ nimis intentâ auscultatione mutus, vel præ insolitâ admiratione exanimis existimère.

6.  
Doctrina fixa.

*Reliquam doctrinam* quod attinet, eam profectò non mediocrem, non inchoatam modò, sed florentem, & si fieri potest, perfectam, & suis partibus absolutam in *Peregrinatio* nostro desiderarem.

Absolutam dico, non imaginariam quandam inanitatem scientiarum, non Chaos quoddam confusum, non superbientes quasdam subtilisationes: id volo, ut studia sua eousque produxerit, ne deficere possit, sed proficere; ne à virtutis studio abduci possit, quicquid



quid tandem voluptatum blandiatur : præsertim si exterarum nationes visurus est, ubi pleraque nostræ juventutis pars magnam spem domi minatur, optima de se pollicetur, dimissa in aërem liberioriorem frugem perdit, spem defraudat, fallit promissionem, similis platano, de quâ poëta

*Umbra non fructum platanus dat: sic quoque multos,*

*Vanâ alios specie ludere sæpè placet.*

Sunt non pauci adeò rudes, adeò Barbari, qui Græcam Linguam, illam omnis Sapientiæ Magistram, non modò non necessariam, sed & inutilem prorsus esse garriunt. Quod si verò virtutis, & ascendendarum Literarum gratiâ Peregrinaturus est, sua serim profectò non Latinæ solùm Linguae, sed & Græcæ cognitionem adferret: quam enim laudem tandem expectabit is, cui cum magnis ævi hujus viris, quorum famâ & eruditione etiam remotissimi aliàs pertrahuntur, conversandum foret, nec verò vel mediocrem Græcæ Linguae Scientiam haberet? nullam certè, quin videretur aliud nihil velle, quàm, Luciani verbo, *δικτύω ἀνεμὸν θησαυρῶν.*

Non inanis est eorum opera, qui præter modò dicta student ut aliqualem quoque ejus Linguae Scientiam habeant, quæ usitata est in ijs locis quos aliquando adire destinaverunt; ad minimum primordia novisse juvat, ita, ut quamvis intelligi non possint, intelligant tamen hos, qui cum illis loquuntur: etsi non præsigni eloquentiâ præpoleant, intelligere tamen cum illis conversantes valeant.

Ridiculum quibusdam videtur eorum consilium, qui Peregrinaturum Pictoriâ arte imbutum volunt: ridiculum quidem videtur, at non nisi ridiculis ipsis: ego verò non hanc solùm, sed & reliquas Mathematicæ doctrinæ species, ut sunt, Arithmetica, Musica, Architectura, Geometrica, si fieri posset, exoptarem, quin cum Hieronymo Elverorim, Juventutem etiamnum hodie exerceri ad cursum, ad saltum, ad usum natandi, jaculandi, pondus portandi &c: Notum enim est ipsis etiam tonforibus, quod hæc omnia mirificè adjuvare possint & promovere Peregrinantem. Habet quævis terra sua dona. Non tellus eadem parit omnia.

*Omnia non uni dat sua dona DEUS.*

*India mittit ebur, molles sua thura Sabæi;*  
Et ut verbo dicam: quævis Terra, quævis Regio sua Ingenia profert. Quanta quæso sunt dona & Ingenia istius Septentrionis? Bataviam

B

627.

7.  
Lingua  
Græca.

Reti Ventos  
Venerari  
&  
Lingua loci  
adeundi.

9.  
Mathema-  
tica studia.  
Pictoria,  
Arithmeti-  
ca, Musica,  
Architectu-  
ra, Geome-  
trica &c.  
Cursus.  
Saltus.  
Natatus.  
Jaculatus.



Intelligo, quæ inventa? quæ artes? ut si vel *Scipio* quispiam, vel *Cæsar*, vel *Hannibal* aliquis ex orco ascenderet, haberet quod miraretur, & veluti tyro disceret à tam parvâ & circumscriptâ gente, cujus tamen si gloriam emetiri volueris, nuspiam finem reperire potueris, ne apud, vel ultra extremos quidem Brasilianos. Intelligitis quid velim. *Audiores Optimi?* hoc volo, inveniet ubique Peregrinaturus, quæ apprehendenda sunt. & Patriæ suæ mirum in modum profutura. Quid enim utilitatis? quid jucunditatis? quid gloriæ accepturum esse putatis hunc, qui, non dicam Regiones, Urbes, Arces; sed inventa peregrina, variósq; locorú situs, etiam mediocriter adumbrare, & Patriæ suo, bono domum reportare potest? Dicere non possum, animo persequi possunt omnes, qui virtutis studium venerantur.

Cæterum jure reprehenda est quorundam amotæ mentis curiositas, qui non nisi ad aspectum Peregrinantur, & externæ gentis nubes atque crepundia Patriæ gravitati & saluti leviter anteponunt.

10.  
*Ætas A.  
ptæ.*

De Moribus ea repetere quæ supra monui, nimis longum foret; occurrit tamen hîc *Ætas Peregrinaturi* nostri, quæ maximè consideranda & describenda est, talis nimirum quæ apta sit ad perferendum motum, labores, molestias, æstum, frigus, ventos, tempestates; quæ apta sit ad superandas injurias, insidias & pericula, quibus non rarò Peregrinantes exponuntur.

*Non pueri.  
lis.*

Peccant hîc multi Parentum, qui, nescio quâ vanitate & ambitione persuasi, *filiolos* suos, vix dum loquentes, sine literis, sine omnium morum culturâ, sine omni Religione, in exterâs Regiones transmittunt. Quid verò iuivius est, quàm imbecille, & tam lubricum corpusculum, ita vasto, ita immenso, ita horribili & profundo insidiarium mari credere? sine duce, sine nauclero, sine navi? quid facilius est, quàm ejusmodi tenella ingenia, quosvis ad errorum scopulos protrudi & deferri? ex quibus longè deterrimum illud est, quod istis in locis Religione quandoque fanaticâ aspersi ad suos tandem miserè redeant: Altiùs enim hæret venenum illud, & vehementiùs operatur, quod cum melle blanditiarum, & simulato Pietatis zelo, in tenellis istis annis imbibitur, nec ita facilè extirpari, aut eradicari se permittit.

*Non senilis*

*Minorennibus ergò his rejectis, quid dicendum est de Senibus? impietas &*

*Juv. Satyr.  
13.*

*Grande nefas certe est & totâ mente piandum,  
De venerandâ canitie secus ac reverenter loqui. Verùm eadem domi*



domi continenda est, nōn exponenda Peregrinis molestijs, Peregrinae gentis infidelitati. Ecquid ni? ipsa enim *senectus jam morbus est.*

*Multa senem circumveniunt incommoda &c:*

Deinde cum plerumque sint *Melancholici* & morosi senes, ideoque in rebus inquirendis, rogandis, indagandis & adnotandis minus accepti, minus expediti, minus prompti; minus affabiles: ut jure dicerem: sine tristitia vivere sola grata Peregrinatio est.

Tum *liberalitatem* exercere, sumptus exponere (sine quibus infelix est, quisquis Peregrinatur) adeo abhorrent & detestantur senes, ut in nullā re magis, quā in corradendis opibus hāreant: ideoque & D. Augustinus: cum cuncta vitia senescant, inquit, sola avaritia in illis juvenescere putetur. Accedit & illud, quod *Philavtia* vitio, à quo tamen omnis Peregrinaturi vita vacua & immunis esse debet, non pauci senum laborare reperiantur, dum omnia liberius taxare & non nisi sua probari volunt, & ut *Cornelij Galli* versus habet; Senex

*Hoc tantum rectum, quod facit ipse putat.*

Quid, quod *Seneca* effato,

*Prima sansguescat senum*

*Memoria, longo lassa sublabens situ.*

Conservare non potest ea quae foris videt, oblivio cuncta tollit, cuncta memoriae rapit.

Concludimus ergo, & certo statuimus, *Juvenem & in mediā atque florente aetate positum* Peregrinationum difficultatibus subeundis & perferendis idoneum esse, & hunc solum sufficientem: Est enim ejus solertiae haec Aetas, ut fructus utiles percipere: ejus est promptitudinis, ut in Leges, Mores, Ritus, Locorumque commoditatem cum voluptate & moderatione inquirere & observare; Visa, Lecta, Audita, Memoriae tenaci conservare, conservata tandem aliquando Patria-bono applicare possit. Aptior est haec Aetas ad spectandum, Aptior ad perferendum, Aptior ad apprehendendum, Aptior ad conservandum.

Ne verò hospitem solum Ornare velle videamur, ornatum autem Collocare in hospitium deforme, terpe, contaminatum: corpori etiam leges dabimus, ut par illud sit subeundis tot laboribus, robustum ad ferenda pericula, elegans ad amicitias honestissimas alliciendas: videmus enim ut qui vel valetudine correpto, vel molliter enutrito vel claudo, caeco, surdo, mutilo corpore incedunt, minus ad obeunda munia sufficiant, nihil praecclare gerant, sed

B 2

022

*Ter. in*

*Phor.*

*Horat. de*

*Arte Poet.*

*In Oedipo.*

*Sed juvenis virilis.*

*11.  
Corpus validum.*



ubique velut in luto hæreant, & cum detrimento subsistant: certè non abs re dictum est à Poetâ.

*Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

Lib. 1. de  
de Cælo, c.  
4. lib. 3.  
De animâ  
cap. 12.  
12.  
Finis propo-  
situs.

Verùm cum omnis actio fieri debeat propter certum finem: quæ Philosophi lex est. Ideò Peregrinaturus noster priùs Finem aliquem sibi eligat, bonum nempe, honestum, ad quem, tanquam ad scopum certum collimans, omnes suas actiones instituat. Quis verò melior, quis honestior finis esse potest, quàm is, qui DEI Gloriam, Parentum Honorem, Patriæ salutem, sui ipsius in rebus aliquando peragendis promptitudinem & fidelitatem unicè spectat, unicè appetit, unicè quærit?

13.  
Adjuncta.

Dux itin-  
eris.

His omnibus dictis & probè consideratis nunc de *adjunctis atq; subsidijs*, sine quibus ne sapientissimus aliàs ire poterit, videndum est, non minùs cautè ac in ipsâ Peregrinaturî personâ eligenda antea à nobis factum, fuisse constat. *Ducem* tibi adjungere vis? non favorem hominum; non aurum vel argentum, hæc enim omnia in ipsâ fide sæpius nobis infida sunt, sed ipsum horum dominum, & hominum Principem, DEUM quære, nam:

Plaut. in  
Amph.

*Vbi summus Imperator non adest ad exercitum;*

*Citiùs, quod non factum est, usus fit, quàm factum est opus.*

Ubi DEUS adest, feliciter succedunt omnia, juvat, defendit, conservat, & quocunque tandem locorum pervenies, facilius poteris perferre quævis pericula, quævis incommoda, quævis mala, nam

*Nil desperandum JOVA duce & auspice JOVA*

14.  
Comites.

Quin Dux hic & Dominus ipse tibi de *comitibus* quoque fidis prospicit. Optima quidem Comes *virtus* est, adjunget tamen DEUS ad hanc Sanctos *Angelos*, qui aderunt, adstabunt, & circum te sua dimentur castra, aderunt ut protegant, aderunt ut profint, aderunt ut administrent omnia, quorum fido ministerio nisi privari volueris, opus erit, ut mundi delicias fugere, & tentationibus diaboli Oratione & Castitate verâ prius resistere discas.

Dolendum hoc quidem: non paucos Parentum filiolos suos in ipsâ ferè infantiâ suâ (necessitatis legem omnem meritò excusatam habemus) peregrinarum Regionum injurijs sine duce, sine ductore exponere.

15.  
Præcepto-  
res.

Quod si verò unquam aliàs, certè & tum temporis, utile foret & necessarium, filijs suis in tam tenellâ adhuc & infirmâ ætate *Præceptores* adjungere.

*Præceptores*



*Præceptores* verò desidero, non deceptores: Doctores, non deco-  
ctores: Lectores, non tectores: Inspectores, non despectores: Infor-  
matores, non deformatores: Iustitutores, non instigatores: Ducto-  
res non seductores: notos & commendatos: bonos & probatos: qui  
in informatione sint fidi, in correctione Prudentes, qui artium &  
Linguarum cognitione, non mediocriter, sed exactè sint instructi:  
qui foris aliquando fuerunt, & si fieri potest, qui in eo loco olim  
Peregrinati sunt, qui filiolo tuo erit adeundus; qui periti moribus  
& experienciâ: qui fortes sint in periculis, Sani in Religione, seduli  
in Oratione, quique non minùs exemplo, quàm præceptis præfint:  
qui ipsi obedire quondam didicerint, antequàm imperare,

*Multum crede mihi refert à fonte bibatur,*

*Qui fluit an pigro quæ stupet unda lacu;*

Præceptore jam conducto, ipse ante omnia inquirere & nosse de-  
bet, quod vitæ genus præ cæteris, sive quem finem studiorum suo-  
rum discipulus ex consilio Parentum suorum præelegerit: ad cuius  
captum pro iudicio suo se accommodare sciat: doceat, non inani-  
ter detineat: viam eligat, non ambages: prælegat & proponat ei au-  
thores tales, quibus Prudentiam adipisci possit, qui purè loquan-  
tur, qui misceant utile dulcis.

Peccant hic non pauci præceptorum, nimiâ morositate discipu-  
los suos impediendo magis, quàm cohibendo: peccant alij, negli-  
gendo magis, quàm condonando.

Peccant deinde & Parentes nonnulli: dum avaritiâ capti, filijs  
suis Præceptores, aut nullos, aut tales adjungunt, qui aliâs nec pro-  
bati quidem, nec cogniti, modò minus pretium repoſcant, modò  
sumptus minores se facturos promittant, jurent, dejerent: Pereant  
verò, quicumque filios suos præ merâ tenacitate sordidis & impro-  
bis comittunt.

Si pater es? si bonus es? filio tuo Præceptorem ut nanciscaris  
pium, probum, fidum, cordatum, sumptibus parce nullis, inutilis est  
enim in Impietate & vitio parsimonia. Quilibet tamen & hic  
fortunam suam excutiat, ne altius volando pennis omnibus prive-  
tur, & cum Icaro Orbi nostro risus fiat.

Peccant & illi Parentes, qui filiolos suos *commutatitiâ conditione*  
in Galliam transmittunt. Quid hoc? An me Gallicas Peregrina-  
tiones dissuadere putas? Absit! Novimus enim, quod Lingua Gal-  
lica his quidem temporibus, multis instar scalæ fuerit, & num esse

B 3

023.

*Præcepto-  
ris boni vir-  
tutes.*

*Præceptoris  
boni, offici-  
um.*

*Præceptores  
inepti.*

*Parentes  
iniqui.*

*Ein Tausch  
in Franck-  
reich.*



possit ad gradus honorum, officiorumque citius attingendos, quos videmus liberius sese offerre ijs qui hac Linguâ instructi sunt, quàm ijs, qui eandem nesciunt: In hoc verò peccant Parentes illi, dum filiolos suos commutatitiâ conditione eandem addiscere volunt, etiamsi sumptibus ad honestiùs alendos non rarò abundant, quæ consuetudo nostratum, quid monstri alat, in confesso est, cum videamus, filios nostros plerumque sine omni Pietate, sine Religione, sine Cultu, sine Moribus, temerarios, lascivos, intemperantes, superbos, impios ita domum reddisse: quicquid etiam Gallis istis nobiscum commorantibus beneficij exhibeatur, nihil tamen, nisi ingratitude promeruisse.

16.  
Socij.

Dixi, de *comitibus* fidis tibi, si Pius es, DEUM prospecturum esse, tu quoque ne sis ultra modum somniculosus, tales tibi *Socios* quære qui noti sint, hos enim jam tum laudari, qui sint modesti, non scurrilitate noceant qui sint candidi, non fraudulentis: qui fortes, non pusillanimes: qui periti non rudes: scilicet

*Fac sectere bonos, qui bonus esse cupis.*

*Haud facile est tribulos & spinas inter euntem*

*Illesos habuisse pedes, illasq; crura.*

*Multaq; corporibus transitione nocent.*

17.  
Famuli.

De *Famulis* quid sentiendum sit, nostri temporis non est hic dicere, optionem verò nobiliorum filijs libenter relinquimus.

18.  
Equus.

Sunt qui præter hæc omnia de *Equo* sibi prospiciunt, tractabili & laboribus assueto: rectius tamen illi rei suæ consulere videntur mihi, qui exteris in Regionibus conductitijs (quorum ubique copiam apud *Postiliones* ut vocant, & *Veredarios* ordinarios inveniunt) vehuntur: sic enim non est, ut vel casu aliquo vel incommodo superveniente Equo suo priventur.

19.  
Canis.

Suaferim quàm maximè tamen, ut *Canem* cujus fidelitatem, sagacitatemq; perspectam habeat, sibi adjungeret Peregrinaturus omnis: extant namque passim Historiæ, quæ hos comites & custodes satis nobis commendant, & ut scitè *Goclenius* ait: Nihil mali est, Canes ibi quamplurimos esse, ubi permulti observandi, multa que observanda sunt.

*Superflua  
prescindenda.*

Caveat verò Peregrinaturus, ne non necessarijs & superfluis impeditus sibi ipsi impedimentum magis creet, quàm promotionem, alioque ad invidiam & furacitatem pelliciat,

—————cautè qui previdet omnia, vincit.

Vix



Vix est, ut qui Peregrinam Gentem adeant *libellos* secum habere vereantur *Precaionum* Avenarij, vel meditationum D. Gerhardi, hi enim libelli duo nunquam in Religionis suspicionem, nisi fortè apud rudia quædam Clericorum pecora ( quæ tamen ex titulo potius & inscriptione, sive impressionis loco moveri, quàm ipsam materiam, ceu minus probam odisse, constat ) incurrunt, cum & ipsos Pontificios ijsdem passim uti certum sit.

24.

20.  
Libri  
Precaionum

*Itineraria* porrò, *mappas* ut vocant *Geographicas*, *scriptoresq;* illius loci & *Historias* sibi comparet, ubi facilius inquirere in omnia potest; neque enim ut *Plutarchus* alicubi ait, ex possessione librorum, sed usu Prudentia comparatur. *Schedas* etiam *pugillares*, sive *libellum scriptorium* adjungat cui diligentissimè inserere possit singulorū dierum res gestas, Locorum distantias, Materias, Inscriptiones, Monumenta, Inventa, Visa, Audita, quæ adnotet, adumbret, conscribat: hæc enim omnia memoriam refricant, & voluptatem olim non pœnitendam creabant.

*Itineraria.*

Ante verò omnia *Literas Commendatitias*, ( ut apud Literatos boni moris est ) à magno aliquo viro & Patrono studiosè conquirat: cum his enim sæpius fit, ut Longinquius Peregrinari possis, ut humaniùs excipiaris; quàm si vel asellum auro onustum tecum duceres: sc: apud bonos & à bonis. Hi namque honestatem & literas liberales plus æstimant, aut certè æstimare debent, quàm omnia fluxi ac infidi mundi donaria:

27.

*Litera commēdatitia.*

Adhæc dices: ubi verò nervus ille, *Pecunia* hæret? De hac enim citius loquendum fuisset: aureum enim ferè est hoc seculum, ubi omnia auro venalia, & imprimis ad studia & Peregrinationes feliciter continuandas quæ conducunt,

22.

*Pecunia.*

*Vita hominum pelagus, regina pecunia nauta est,*

*Navigat infelix, qui caret hujus ope.*

verùm, sat citò qui sat benè, & cum hæc eadem vel *numeratò* haberi soleat, cavendum est, ne eam minùs diligenter custodiendo, vel negligentius occultando amittamus, aut eandem jactando fures atque latrones alliciamus, aut denique in vijs ac telonijs de' eâ periclitemur.

Non *numeratam pecuniam literis commutatitijs* adjungunt quidam, de quibus sanè & omnium cujusque Regionis monetarum valore diligenter domi prius informari debet ne Mercatorum & Nummulariorum usuris strophis, & exactionibus plus æquò foris postmodum

23.

*Litera commūdatitia.*



dum gravetur, ubi tamen sedulò observandum est Poeticum illud,

*Parcere divitijs, qui tempore novit & uti,*

*Ille modum servans inter utrumq; sapit.*

24.  
*Vestes.*

*In Ep. ad  
Heliodor.*

*Ornamentum  
deponenda  
in itinere.*

25.  
*Gladius.  
Arma prohibita.*

26.  
*Solarium.*

27.  
*Medicina.*

De vestitu hoc tenendum est, comparet sibi Peregrinaturus noster quæ loco adeundo sint accommodæ, usque aded, ut si fortè apud Indos eum esse contigerit, neque avium plumis indui recuset. Et hoc est, cur D. Hieronymus Nepotianum laudet, quod in cultu provinciarum morem sequeretur: cum experientiâ doceamur, vestibus externis indutos à plebeculâ gravatim & ægrè aspici, sæpè etiam iisdem infestam esse, & ab iisdem publico odio persecutos fuisse: adde, quod qui mores & aliorum secreta inquirere cupit, melius quidem id assequitur si ijs se accommodet, & simili vestitu utatur, præsertim tali qui purus sit, qui duret, quique pulverem, pluvias, & cætera itineris tædia superare possit. Quid? cum sapius suspecta lectorum mundities, & non raro insanâ quadam, & hæreditariâ quasi lue infecti sint, Ephibolen lineam induisse juvabit. Ornamenta verò, etiam annulos, Prudens Peregrinaturus antè inter deponat, nec causam querat, cur id facere debeat? cum sat sit tantum dixisse Sipienti,

Est & hoc commune viatoribus, ut non rarò præter opinionem, veluti ex improvisò in vitæ periculum incidant: quod si idem quoque tibi forsitan contigerit, non pusillo fugiendum est animo, aut omnis salutis spes abiicienda est ilicò, cum & ipsa fuga atque timiditas multis exitio fuerit, magnanimitas contra multos ex periculis liberavit, idcirco ad excipiendos ictus & ad bona tua defendenda animus adferendus est Magnus & fortis, manus opponendæ sunt, gladijs Cæsim Punctimque resistentes, cautè tamen & hoc præcavendum, ne ea arma sumas, quæ (ut in Regionibus quibusdam consuetudo est) prohibita sint, veluti sclopeta, & pugiones minores, quæ singula magno sæpè cum incommodo deponi mandantur.

Solario vel horologio parvo, certo tamen, & quod diem non fallat instructus sit peregrinaturus, quò quantitatem solis & locum Regionis examinare possit, & investigare tutiùs, cum sæpè locorum eveniat, ut toto die iter faciendo ne horologium quidem Templis, ut solet aliàs, appensum reperiri, detur. Sonantia verò ista horologia, cum infidæ genti plerumq; nummorum quiddam excellentius promittere videntur, ut minùs consultiora domi reliquenda esse prædixerim.

Tandem de conservandâ valetudine prospiciendum est, Hæc verò cum



625.  
vel adjuvetur, velut *artis coquinaria præcognitione*, eam non adeò negligendam, vel, ut rem nullius momenti, floccipendendam, cum imperitis putaverim: est enim palàm, quàm sapiùs austeri, quam fordidi, quàm crudeles passim caupones deprehendantur, ut propter malè paratos cibos, morbum non rarò sibi attrahant Peregrinantes: Juvat ergò, & hoc quidem factu facile est, vel ova, pisces, carnes, juscula, alia simplicioris cibi fercula præparare posse, nihil certè facilius est, adde, nihil hercule utilius quoq;, cum fortè vel diversorium nullum offendere, vel commoditatem gratam habere non possis, maximè ubi per solitudines ac deserta iter faciendum est, vel per maria fluctuosa, & flumina importuna alia navigandum.

Deinde *preservatur quoque sanitas*, cum fortè de sumpto veneno vel alià quapiam sub melle latente invidià suspicatur; *theriaco, antidoto vel mithridatico* præ malo venire potest.

Tum *confirmatur sanitas aromatis, balsamo, & alijs*, quæ ex periti Medici consilio Peregrinaturus sibi adjungere studebit.

Ultimò & *vacillans sanitas restituitur*, quæ si interiora corporis afficit? imminens periculum medicâ ex arte depellendum: si exteriora? *de sanandis vulneribus, & invisis octopedibus pellendis cogitandum.*

Sed quorsum tandem abeo? Sat dixi, modò sat intellexerit Peregrinaturus. Quis verò de eo dubitat? cum Prudens sit; secus enim tantis difficultatibus sustinendis impar certè futurus. Tu quisquis es, nunc cum bono DEO ita præmunitus, ita præparatus, ita prædoctus tutò abire, & Peregrinas molestias, Parentum tuorum permissione, Patriæ bono degustare potes.  
I modò charissime Amice!

28.  
Conclusio.

*Ito bonis avibus. Patrias age desere sedes:*

*I, vocat, I, virtus te Peregrina vocat!*

*Ito foris, noscende foris, noscende peritis:*

*DUX DEUS est: virtus est comes. Ito! Vale!*

DIXI.

C



*Ad*  
Indolis Optimæ  
Juvenem Ornatissimum,  
Dm: DANIELEM KOLEFFEL,

*Amicum per dilectum,*  
Epigramma  
JOH. MICHAELIS MOSCHEROSCH.

**P**atronos Fortuna dedit, dedit ipsa Parentes:  
Sis Pius & Numen dilige, plura dabit.  
Non potes esse malus, si vis bonus esse: negavit  
Nulla tibi Numen munera, nulla Pater.  
Quicquid agis, tantum studeas placuisse Parenti:  
Ut placeas Illi, disce placere DEO.  
Si Pius es? ô Te Felicem! Adverte, Moneris!  
Qui Pius est, Patria displicuisse nequit.

Anagrammata

è Re nata.

I.

Kenssen

*Avayg.*

Enfern.

Kenssen ist nichts dann ungemach vnd sorgen:  
Gefahr ist groß/ die lust gering vnd klein:  
Drumb muß allhier ein Enfern Herke sein  
Sonst daurt man nicht als nur bis vber Morgen.

Idem

II.

Peregrinatio,

*Avayg.*

Argento perij

—  
Tumulus

Peregrinatoris  
in Itinere Occisi.

Disce



Disce meo Exemplo secreta filere, Viator:  
Argento Casus sum perijque meo.

628

Idem.

III.

Ἀποδημία.

Ἀναγε.

Μὴ Ἀποδία

Μὴ προπετῆς ξενιεύει: τάχιστα Ἀποδημία σφάλλει:  
Νὴ Δία, τῶν παίδων ἔντ' Ἀποδία ἰδὸς.

Idem

IV.

Voyage

quasi

voy l'âge.

Pour profiter au Cours de ton voyage,  
Pense & enten, avant tout voy ton âge:  
Car vn vieillard a tres-mauvais presage,  
Les Jeunes Gens font tousjours Le vollage.  
Vn vieil Cousin ne sert qu' à un pillage,  
Les Jeunes Gens ont trop peu de Courage.  
Vn vieil vaisseau est prez de son naufrage,  
Les Jeunes Gens vont au gré de l' orage.  
Aux vieux la Mort est escrete au Visage,  
Les Jeunes Gens sont empeschez de rage.  
Les Vieux trop lents; Le Jeune trop peu sage,  
A toute part on y voit de dommage,  
Trop tost trop tard defendent le passage:  
Adonc, qui veut Voyager, Voy ton âge.

Idem Moscherosch.

F I N I S.







X 2615926

VD.17











617.

INATIO-  
ioforum

1630, 6.

TIO,

iturum quibusdam

Animo, quã  
rosicuis ac  
rys.

n Permissu

ccitata

GENTORATENSI,

ul. 1630.

KOLEFFEL,  
enlem.

non possunt  
cti Arte.  
us.

ORATI,

RISTIANUS GLASERUS,  
pographus.

XXX.